Jero. Prepositum monasterii timeas ut dominum: diligas ut parentem:
credas tibi salutare quicquid ille preceperit: nec de maioris sententia iu-
dices: cuius officium est obedire et implere que iussa sunt: dicente moyse.
Audi israhel et tace. Vidi ego quosdam qui postquam renuntiavere seculo
vestimentis dumtaxat et vocis professione non rebus: nichil de pristina
conversatione mutarunt: res familiaris magis aucta quam imminuta.
Ambrosius. Licet undique honesta ioca sint ac suavia: tamen ab ecclesiastica
abhorrent regula. Nos incauti ac fragiles ridendi materiam requirimus.
ut hic ridentes illic misere defleamus: ideirco non solum profusos sed
Gregorius. Sciendum est quod bona nostra etiam omnes iocos arbitror declinandos.
tribus modis antiquus hostis insequitur: ut videlicet hoc quod rectum coram hominibus
agitur: in interni iudicis conspectu vitietur. Aliquando namque in bono opere intenti-
onem polluit. ut omne quod in actione sequitur: eo purum mundumque non
exeat. quo hoc ab origine perturbat. Aliquando vero intentionem boni operis
vitiare non prevalet. sed in ipsa actione se quasi in itinere opponit: ut cum
propositum mentis securior egreditur: subiecto latenter vitio. quasi ex
insidiis perimatur. Aliquando vero nec intentionem vitiat. nec in itinere sup-
plantat: sed opus bonum in fine actionis illaqueat. Quantoque vel
a domo cordis. vel ab itinere operis longius recessisse se simulat: tan-
to decipiende bone actionis terminum astutius expectat. Ex quo
incautum quemque quasi recedendo securum reddiderit: eo illum repen-
tino nonnumquam vulnere durius insanabiliusque transfigit. Inten-
tionem quippe in bono opere polluit. quia cum facilia ad decipiendum cor-
da hominum conspicit. eorum desideriis auram transitorii favoris appo-
nit. ut in hiis que recta faciunt: ad appetenda yma tortitudine
intentionis inclinentur. Cum vero antiquus hostis neque in exordio intentionis
ferit. neque in itinere actionis intercipit: duriores in fine laqueos tendit.
Quem tanto nequius obsidet: quanto solum sibi remansisse ad decipien-
dum videt. Si autem semel cor intentione corrumpitur. sequentis actionis me-
dietas et terminus. ab hoste callido secure possidetur: quoniam tota sibi
arbore fructus ferre conspicit: quam veneni dente in radice viti-
avit.

TECHNISCHE UNIVERSITÄT DARMSTADT
http://tudigit.ulb.tu-darmstadt.de/show/Hs-2284/0136
Universitäts- und Landesbibliothek Darmstadt